



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pia Desideria**

**Hugo, Hermann**

**Mediolani, 1634**

VIII. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte? Hier. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43734**



*Quis dabit capiti meo aquam et oculis  
meis fontem lacrymarum! Hierem. 9.*

*C. Blancus fecit.*



## V I I I.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis  
fontem lacrymarum, & plorabo die,  
ac nocte? *Ierem. 9.*

**Q**uis mihi det, liquidas caput hoc vertatur in  
undas.

Torque fluat guttis, quot stetit antè, comis?  
Fronte patet campus quem flebilis imber inundet,  
Ripa nec, ut fluctus exspatiantur, obest.  
O mea, si subito, duo flumina, lumina fiant!  
Sat capiet geminas alueus aptus aquas.  
Ille meis totus lacrymis non sufficit imber,  
Perpetuò flentis, qui rigat ora senis.  
Capta nec Andromache, qua lumina proluit unda,  
Illà meis lacrymis unda sat esse potest.  
Nec tua, Iesside, lacrymati balnea lecti,  
Balnea nocturnis humida semper aquis.  
Nec quibus es solitus ieiunia pascere gutta,  
Nocte, dieque, tuus qua tibi panis erant:  
Illa nec illuies plorabilium lacrymarum.  
Quam pluit in Domini Magdala mœsta pedes.  
Nec (tibi, qui geminis inarauerat humida sulcis  
Lu-



Lumina) fons mœsta, Petre perennis aqua.  
 Sed tua, Nile, velim septem plice flumina riuo,  
 Cum vagus Isiacos obruis amnis agros.  
 Aut qualis madidum cū mergit Aquarius annū;  
 Totaque in hybernas astra liquantur aquas;  
 Aut potius trepidas qualis ruit imber in vrbes,  
 Omnia cum plusio claustra reclusa Ioui.  
 Culminaque et terras & acuta cacumina, cautes,  
 Et ne mora & montes nil nisi pontus erant.  
 Hos oculis voueam grauidis mihi currere nimbos.  
 Et caput hoc, totus fiat vt Oceanus.  
 Aut saltem in geminos tabescere lumina riuos,  
 Perpetuò ve meas amne natare genas.  
 Nec siccare oculos, nisi cum stupor obstitit illis,  
 Finiat vt lacrymas vltima gutta meas.  
 Felices nimium, vitreae, gens cerula, nymphe,  
 Membra quibus fluido sunt liquefacta vitro!  
 Vosque, paludosis mutatae fontibus artus,  
 Quas verus est quondam fama professa nurus;  
 Cur mihi non liquidis stillant quoq; brachia riuus?  
 Glaucaque muscosis fluctuat vnda comis?  
 Illa ego sum, fontem quæ non admittor in vllum;  
 Illa ego sum, frustra quæ liquor esse velim.  
 O vtinam! celerem vertar, nouus Acis, in amnē,  
 Qui Galatea, tuo flumen amore fuit.

Aut



Aut aliquod, fieri iubeat me Biblida, Numen,  
 Quod fieri iussit Biblida, fontis aquam!  
 Aut, Acheloe, tua liceat mihi ludere forma,  
 Hercule decepto, cum leue flumen eras!  
 Non ego tunc, Acheloe, precaria corpora ponam,  
 Taurus, ut exuto fluminis ore, puter.  
 Et licet obscuri fuerim nisi nominis annis,  
 Non ego me nomen vile fuisse, querar.  
 Iugis aqua largus tantum mihi suppetat imber,  
 Cetera, securum nomen honoris erit.  
 Tum mea inexhaustos deducunt lumina riuos,  
 Pindus ut aestiua de niue, voluit aquas.  
 Perq; fluent lacrymae, veluti vaga flumina, vultu,  
 Flumina luce fluent, flumina nocte fluent.  
 Nec nisi flere, meis oculis erit vlla voluptas,  
 Donec erunt lacrymis crimina mersa meis.

## HIERONYMVS

In cap. 9. Ierem.

**S**I totus vertar in fletum, & nequaquam  
 guttae sint lacrymarum, sed abundantia  
 fluminum; non satis digne fleuero.

Dee